DE

LUXATIS QUINQUE INFERIORIBUS COLLI VERTEBRIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS GUETZLOE
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

H. TRUETSCHEL, MED. ET CHIR. DR.
L. WETZLAR, MED. ET CHIR. DR.
N. LIESE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

ANT. GUETZLOE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE

OFFERT

FILIUS.

PROOEMIUM.

Cogitanti mihi quam rem dissertatione, quae ad summos in medicina et chirurgia honores adipiscendos conscribenda est, eligerem, in diariis quae a de Graefe et a de Walther eduntur, occurrerunt dicta quaedam de luxatis colli vertebris et nova et praeclara. Quae quum accuratius cognovissem et cum eis, quae ab aliis de hac re tradita sunt, compasassem, vertebrarum luxatio apta mihi visa est, de qua dissererem. Nitendum quidem erat in compluriium eorumque insignium virorum sententiis, quibus, quae ipse de hac re sentio adjungere ausus sum, et acquiescendum in componendis aliquot exemplis aptissimis, quibus ratio mea comprobaretur; sed a ti-

rone in arte nostra, quippe quae magnum desideret usum, multo majora, puto, non expectantur. Meum quidem propositum fuit non modo ut totam quinque inferiorum colli vertebrarum luxationem explanarem, verum etiam ut nisus iis, quae et usu et ratione cognita habemus, ostenderem, luxatas illas vertebras semper reponendas esse in sedes suas. In quo mihi dolori fuit, quod nullum ex mea ipsius observatione exemplum afferre possem. —

Benevolos lectores horum quae juvenili calamo minus accurate scripta sint, veniam daturos esse spero. —

§. 1.

Pars anatomica.

Superficies articularis superior, quae est in corpore vertebrarum colli quinque inferiorum a parte posteriore in antiorem versus, est convexa, inferior eadem ratione concava, ita ut inter se respondeant articulique in modum apte conveniant. Processus obliqui ita positi sunt, ut superficies articularis concavior processus obliqui inferioris, qui est in vertebra altiore, conjungatur cum convexa vertebrae proximae subjacentis, verumtamen non plane ad lineam horizontalem, quam vocamus, sed magis ad perpendiculum directa, quam corpora. Inter has superficies articulares cartilago intervertebralis interjecta est, e laminis formata, tendinum materiae similibus, quarum in intervallis est pellucida cartilagini molli non absimilis substantia. Superficies articulares processuum obliquorum tenuibus cartilaginum lamellis obductae sunt, inter quas saccus situs est synovialis cum superficie cartilaginosa coalitus. Vertebrae illae et cartilagines ligamentis junguntur

et figuntur; corpora nimirum circumdantur ligamento longitudinali anteriore et posteriore; processus autem obliqui vertebrarum inter se junctarum ligamentis capsularibus, membranis, quae articulorum fines cingunt, laxis, ut motus aliqua saltem potestas fiat; ligamentis subflavis, quae et ligamenta crurum vertebrarum nominantur, spatia inter arcus vertebrarum explentur et canalis vertebrarum arcte clauditur. Praeterea junguntur ligamentis spinalibus, inter processus spinoros sitis, ligamentis intervertebralibus, quae a processu transverso unius vertebrae ad processum transversum alterius pertinent. —

Quae arcta conjunctio, etsi in vertebris inferius jacentibus paulo majorem motum non permittit ea tamen non impedit, quominus collum satis libere moveatur, quippe quod non solum flecti, extendi, sed etiam ad latus inclinari atque ad axem converti possit. Cujus rei ratio petenda est ex ossium forma, partim ex concava et convexa illorum superficie, partim ex crassitudine laminarum inter vertebrarum corpora jacentium, quae fibris constant, et denique ex substantiae intermediae natura elastica; praeterea motus ille processibus articularibus non admodum cohibetur, quoniam lamellae fibrosae capsularum tam alte sitae sunt, ut superficies articulares processuum

articularium inter se non contingant, sed parvo intervallo disjunctae sint, id quod in ceteris vertebris non item invenimus [1]). Quae cum ita sint, sejunctionem non solum unius, verum etiam utriusque processus obliqui vertebrarum colli fieri posse intelligitur, sive, quod idem est, luxationem. Quae quidem hoc modo accidere potest: truncus si flectitur vel extenditur, superioris vertebrae colli processus obliqui inferiores super processus superiores vertebrae inferiores delabuntur. Si truncus ad latus flectitur, processus obliquus inferior ejus lateris in quod collum inclinatur, deorsum; is autem, qui est in altero latere sursum labitur, versio ad axem si fit, processus unius lateris antrorsum, alterius retrorsum et deorsum dirigitur. Superficies articulares si tantopere loco motae sunt, ut plane discesserint, manet hic situs sive luxatio nisi statim viam repetunt quum processorum obliquorum margines oppositi alter ad alterum adnitantur. —

Unius processus obliqui luxati exempla a compluribus auctoribus relata legimus [2]) neque veri

---

1) Hildebrandts Anatomie von Ernst Heinrich Weber. 4te Ausgabe. Band II. Seite 155.

2) Dr. Adolph Leopold Richter, von den Brüchen und Verrenkungen der Knochen.

absimile esse mihi videtur, horum luxationum numerum multo majorem esse, quam adnotatum, quum haud raro homines deformitate illa affecti nobis obvii fiant, ex quibus certe haud parva pars illa luxatione laborat. Quorum miserias aut ex medicorum haud satis expedita cognitione symptomatum luxationis, aut ex timore repositionis perficiendae haud raro natas esse concludi licet. Amborum processuum obliquorum luxatio, quod ego quidem sciam, unius tantum exempli a magno illo viro de Walther [1]) mentio facta est. —

§. 2.

Causae.

Si varia scripta, in quibus observata de his vertebris luxatis nobiscum communicata sunt, componimus, hasce praesertim causas fuisse invenimus, ex quibus malum originem duxerit. Primum enim decidisse homines narrant e loco superiore in terram, ita ut capitis aut latera aut partes anteriores vel posteriores affligerentur eumque casum interdum ve-

---

1) Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Graefe und von Walther. Band III. Heft II. 1822. p. 197 sqq.

hementiorem redditum esse oneris alicujus aut cujusvis alius corporis; quod portaverint nimia gravitate. Deinde ipsas colli vertebras vi aliqua petitas esse legimus, aut currum eas transiisse, aut ictum vel pulsum vehementiorem illis illatum esse; quibus omnibus illum morbum moveri posse, nemo vel mediocri hujus regionis cognitione imbutus, infitias ibit, quin imo capite subito retrorsum verso, luxationem illam genitam esse, Desault et Chopart auctores sunt. Haud raro denique luxationis causa repetenda est a duobus ludis puerilibus ubique, ut puto, vulgaribus, quum scilicet corpus suum in praeceps rotant, aut puer puerulum vel etiam adolescens puerum capite compressenso a terra sublatum tenet. Talem motum ad efficiendam illam luxationem satis valere non cuiquam mirum videri puto, ne tum quidem si exempla ejusmodi deessent, si reputamus, in puerili aetate musculos nondum assecutos esse eum rigorem, ut inter rotandum totum corporis pondus sine difficultate dirigere queant in anteriorem partem, totum igitur corpus in latus plerumque cadeat, necesse esse. Profecto mirum est, triste illud malum non saepius accidere, quod certe contra fieret, nisi in pueris, sicuti musculi, ita etiam ligamenta, cartilagines ossaque ipsa multo minus essent rigida et tenacia quam in

adultis; quo fit, ut in suum locum recedant. In pueris ita, uti supra descripsimus, a terra sublatis vertebrarum colli luxationes existere, itidem non mirandum est, praesertim si pueri ita jactati, ad latus flectuntur. Id tibi certe minimi operis erit hoc in casu utriusque processus obliqui luxationem mente complecti, cum ea ipsa causa in illa clari de Walther historia loco citato morbi adfuerit.

§. 3.

Diagnosis.

In iis luxationibus, quas non statim mors consecuta est, haec symptomata apparuere: Si unus tantum processus obliquus luxatus erat, caput et quidem facies, ut supra jam monuimus, ad latus loco affecto oppositum, verti debebat. Aegrotus capiti movendi impar erat; ubi erat luxatio, dolebat, processusque spinosus luxatae vertebrae et illi qui in vertebris superioribus sunt, ad luxationis latus inclinati erant, qui vero positi erant infra luxatam vertebram, ii ad latus oppositum inclinati erant, quo fiebat, ut digito admoto lacunam deprehenderes. Musculi colli Boyer [1])

---

1) Boyer. Traité complet de Chirurgie. T. IV. Paris. Observa. 289. Note.

et Chelius [2]) auctoribus nihil a norma recesserant, unde fieri potuisset, ut in obliquum collum moveretur, qua quidem re luxationes a variis capitis obstipi generibus facile discerni possent; Richter vero, loco jam laudato, et ipse, uti videtur, auctoritate quorundam virorum nisus, in latere luxationis sedi opposito, musculos contractos fuisse affirmat, cujus rei in exemplis, quae mihi ad comparandum praesto fuerunt, nullam quidem mentionem factam reperi. Praeterea in latere luxationi opposito eminentiam animadvertes ex corpore vertebrae loco moto, natam.

Utraque processu obliquo luxato, caput, quale quidem est exemplum illud a de Walther allatum, quod adhuc unicum nobis diagnosi constituendae inservire debet, non ad latus, sed retrorsum vergit. Collo arcus quasi formatur a parte posteriore concavus, ab anteriore convexus. Quae res etiam tum, si e structura anatomica luxationem explanamus, non solum accidere posse, sed etiam debere videtur. —

Narravimus igitur symptomata localia, quae in luxationibus invenimus, symptomata secundaria, nunc magis nunc minus gravia, vel a loco, quo luxatio est, dependere videntur; neque potissimum illud patholo-

1) Chelius. Handbuch der Chirurgie. T. I. p. 556 sqq.

giae principium fusius designandum est, vulnera medullae spinalis eo funestiora esse, quo propriora sint cerebro; vel ab aliis rebus, quibuscum luxatio conjuncta est. In luxationibus magis in superiore colli parte sitis, symptomata cerebri non defuere, cujus rei exemplum est apud Preifs [1]) vertebris luxatis secunda et tertia; sopore enim, capitis doloribus, deliriis, oculorum rubore, spiritus ducendi difficultate, postea membrorum et superiorum et inferiorum et alterius lateris resolutionibus aegrotus vexabatur. Vertebra inferius sita quum luxata erat, ea apparebant praecipue symptomata, quae profundiorem medullae spinalis partem vulneratam comitari solent, ut sunt resolutiones partium infra collum sitarum, alvus nolente aegro deposita, penis erectus, lotii suppressa secretio; animo tamen valere aegrotus non destiterat [2]). Illud quoque Rust auctore [3]) factum est, ut quinta colli vertebra luxaretur superioresque extremitates motu carerent, atque aegrotus crebris spasmis laboraret et singultu cruciaretur. Interdum symptomata secundaria minoris momenti fuerunt, neque

---

1) Salzburger Zeitung 1792. Band III. p. 297.

2) Frohrieps Notizen. Band 17. No. 2. p. 179.

3) Salzburger Zeitung 1813. Band III. p. 127.

spiritus ducendi anxietas, neque cerebri affectio, neque alia symptomata graviora aderant, nisi ab initio dolores vehementes in parte laesa, ex quo genere est luxatio illa, quam de Walther descripsit; quae quidem Boyer plerumque ita accidere affirmat. —

§. 4.

Prognosis.

Jam ex pathologia satis constat, neque in iis, quae cerebrum afficiant, laesionibus, neque quae medullam spinalem infestent, prognosin constitui posse vel mediocriter certam. Saepissime medulla spinali vel cerebro leviter tantum, uti videbatur, laesis, symptomata maxime terrebilia; at contra ea, illis vel maxime vitiatis, levissima consecuta videmus; quae res eodem prorsus modo in colli vertebris luxatis se habet. Utroque processu obliquo luxato omnium fere symptomatum tristium quae merito expectari licuit, aegrotum expertem fuisse legimus, neque de ulla alia re conquestum esse, nisi de doloribus maxime vexantibus; unius vero processus obliqui luxationem nonnunquam statim mortem secutam esse, literis mandatum est. Etsi dubitari non licet, quin morbi ii, quibuscum luxationes complicatae sint, ni-

mirum medullae spinalis, durae matris, vasorum, nervorum diruptio aliique morbi ad prognosin constituendam valeant quam plurimum, tamen nihilo secius Adolpho Leopoldo Richter me jure assentiri puto contra viros de chirurgia meritissimos de Walther et Boyer, contendenti, non in solis morbis accedentibus luxationis perniciem positam esse; quum haud raro, ossibus repositis, non sublatis illis, quae accesserint, symptomata perniciosa et sequelae evanuerint, id quod accidere non potuerit, si symptomata ex complicatione, ut hoc verbo utar, fuerint nata. Organon praeterea si reputamus, laesionibus gravissimis tam facile obnoxum esse, nimirum medullam spinalem, laesiones ipsas plerumque maximi momenti esse aliosque morbos haud difficulter una existere posse, prognosis certe mala nominanda est, praesertim si numerum eorum, qui convaluerint, cum numero eorum, qui facta luxatione mortem obierint, componimus. Meliorem prognosin constituamus fortasse licebit, si paragrapho insequente curam accuratius exposuerimus; inde enim patebit, quibus sit opus, ut illud fieri possit. —

Utriusque processus obliqui luxationis prognosin certam omnino statuere non possumus, quum unicam tantum ejusmodi luxationem usu cognitam habeamus;

ceterum et in hoc morbo rem bene cadere posse, dummodo apta instituatur cura, cl. de Walther exemplum evidenter demonstrat. —

§. 5.

C u r a.

In curandis omnibus luxationibus etsi morbi conjuncti maximi sunt momenti, id tamen imprimis spectandum est, ut ossa in suas reponantur sedes. Hanc medendi rationem in luxatis colli vertebris Boyer, chirurgus peritissimus omnino rejiciendam esse censet; quam sententiam ut, quantum in me esset, refellerem, dissertationis nostrae caput esse volui. Cl. de Walther experientia edoctus et aliis argumentis, opinionem illam bonis argumentis carere demonstravit; cujus insignis viri auctoritate niti quum possim, non est, cur excellentissimi Boyer sententiam oppugnare non audeam. Quam ob rem primum videamus quae Boyer contra repositionem attulerit, tum ea pro viribus nostris infringere conemur. —

Dicit igitur ille, se a Desault in praelectionibus audivisse, quum narraret, ad se portatum esse puerulum luxatis colli vertebris, neque se reponere ausum, propterea quod timuisset ne illum, quum ad

curam aggrederetur, subita morte extingueret, id quod Peyrilhe postea acciderit. Adversus haec de Walther autem dicit: mirum sibi videri, quod a Desault, quum quae ipse usu cognita habuerit, omnia literis mandaverit, non ulla istius rei mentio facta sit. Ad haec igitur ea quae Boyer narravit recte referre non possumus. Deinde ipsa illa res non est ejusmodi, quae curatione omnino abstinendum esse indicet, quum plane ignoremus, quae et qualis repositio illa statusque aegri fuerit. —

Boyer porro adverso marte repositionis exemplum affert. Petit-Radel narrare, in nosocomium caritatis Parisiense portari se vidisse puerum collo et capite ad latus inclinatis. Difficilem cognitu quidem fuisse morbum, luxationis tamen suspicionem motam, saepius reponendi periculum factum, sed aegrotum in curantium manibus mortuum; in cadavere dissecando unius processus obliqui vertebrae colli inferioris luxationem repertam esse. Hanc rem minus accurate expositam esse, quam ut ei magna fides habenda sit, facile intelligimus. Etenim quum Petit-Radel unum illud commemoraverit, fuisse opinionem luxationis neque dixerit, qui luxatas vertebras in sedes suas reponere conati sint, nec quidquam de eorum, qui illud tentaverunt, arte addiderit, non abest

suspicio, absente nosocomii praeside Boyer, repositionem illam imprudenter esse institutam; unde efficitur, ut hoc quoque argumento nobis nullo modo persuasum sit, tentatam luxatae vertebrae repositionem funestam esse. Idem ille Boyer adjungit haec: nunquam usu venisse, ut uno processu obliquo luxato medullà spinalis tantopere comprimeretur, ut resolutio aut ulla alia nervorum systematis turbatio oriretur; quam rem hoc modo explicat: luxato processu obliquo altero et in partem anteriorem progrediente, alterum oppositi lateris processnm descendere et retrorsum regredi; inde fieri versionem ad axem tam levem, ut medulla spinalis vehementer comprimi nequeat, neque ulla alia incommoda inde nasci, nisi deformitatem aliquam capite latus retorto; periculum nullum adesse; dolores quoque primo quidem tempore vehementes, paulatim imminui; quocirca ferendam potius deformitatem illam censet, quam instituendam operationem, cujus exitus tam incertus sit tamque periculosus. —

At unius processus obliqui luxatione medullam spinalem tam vehementer laedi posse, ut pessima quaeque inde nascantur, id jam verissimis illis vel maxime turbati nervorum systematis exemplis satis probatum putamus, quae quidem in diagnosi attuli-

mus, neque justo audaciores nobis videmur contendentes contra Boyer et de Walther, mala illa non a solis morbis, quibuscum luxatio complicata sit, repetenda esse, sed connata connexaque cum luxatione, qua sublata saepissime omnino auferantur; quod omnino fieri non posset, si res contra esset. Sed si etiam praeter caput obstipum nihil mali initio relinqueretur, inde tamen vasis-nervisque majore minoreve vi necessario compressis, pessima nasci posse, negare nequimus. Sed absint haec omnia, minetur aegro nullum aliud malum, nisi caput obstipum, haec ipsa non cum Boyer negligenda sunt; nam omissa magna illa deformitate, id etiam respiciendum est, plurimos homines capite obstipo a gerendis negotiis aut omnino prohiberi, aut certe impediri, quominus commode id facere possint. —

Quum igitur Boyer non ita bonis argumentis nisum contra repositionem pugnare demonstraverimus, restat, ut quae diximus, exemplis probemus hominum, vertebris in suum locum restitutis, a luxatione liberatorum. Quum mihi ipsi earum luxationum observandarum nulla sese obtulerit occasio, factas repositiones proferam auctoribus viris de chirurgia meritissimis et maxima fide dignissimis. —

Puerulus tres annos et dimidium natus in poli-

clinicum Bonnense, quod tum temporis directore de Walther florebat, portatus est. Hunc triginta sex horis ante puer alter natu major, una manu occipite, altera mento prehenso e terra sublatum, per dimidiam minutae partem suspensum tenuerat; palpitaverat puer magnumque clamorem ediderat. Ubi pater accessit, caput intergus reclinatum ita invenit ut caput regionem intrascapularem paene attingeret collique pars anterior esset convexa, posterior concava; puer collum neque erigere neque flectere poterat. Per aliquod temporis spatium clamabat, tum de doloribus capitis et colli querebatur; non spiritus ducendi, non cibi glutiendi difficultas aderat, in facie tamen tumor et rubor obscurior. De Walther utriusque processus obliqui vertebrae cervicalis tertiae vel quartae luxatione cognita, morbum repositione hacce ratione instituta, curavit: Puer a tribus ministris satis validis sublimis et quidem ad horizontalem, ut ajunt, lineam extensus, ita tenebatur, ut unus in malis, alter in humeris extenderet, truncoque ita satis firmato, tertius caput prehensum reprimeret tali quidem modo, ut primum luxati, tum sani colli directionem sequeretur caputque attractum collo sensim sensimque in longitudinem ducto, magis etiam resupinaret. Ubi ea extensio ad certum modum venerat,

collo paulatim producto caput in locum, in quem debuit, recessit. Primo igitur facto reponendi periculo, res bene cessit caputque ut antea, quoquoversus flecti potuit. Nulla deinde mala secuta sunt atque puer sanus permansit [1]). —

Hic igitur luxatus uterque processus obliquus fuit, quem Boyer minus etiam quam unum processum obliquum reponi posse contendit. Quam tristis deformati pueri sors fuisset, si, quae Boyer praecepit, de Walther secutus esset! —

Luxationis inter epistrophaeum et atlantem ortae, quum processus obliquus atlantis inferior ex conjunctione articulari, quam cum processu obliquo epistrophaei habet, exemplum Ehrlich [2]) nobis suppeditat, quo clare demonstratur, majorem etiam medullae spinalis extensionem, quae quidem in repositione fiat, necesse est, aegro mortem afferre non oportere; quare, quam illud in luxatione cerebro tam propinqua non acciderit, in reponendis luxatis vertebris inferioribus, certe, uti opinor, minus metuendum est. — Adolescens sedecim annorum, corpore firmo, onere ibo librarum gravis, per quatuor gradus dece-

---

1) Von Graefe und von Walthers Journal l. c.

2) Chirurgische Beobachtungen von Johann August Ehrlich, Band II. 1815.

dit resupinus. Onus super caput cecidit. Quinque fere minutis post Ehrlich auxilio venit. Pectus antrorsum inclinatum, caput a latere sinistro dextrorsum et retrorsum onere pulsum erat, ita ut ascendens, ejus partem anteriorem nequaquam conspicere posses; in colli anterioris latere sinistro epistrophaeus tumore praeditus eminebat; caput omnem fere stabilitatem amiserat, ut pondere suo quoquo versus laberetur; facies erat colore livido et sicuti est in suspenso tumida; oculi prostabant palpebris clausis; lingua ex ore dependebat et non parva copia muci sanguinolenti effluebat, mandibula subsederat venaeque jugulares sanguine impletae et tumentes funium instar jacebant. Membra immota jam resoluta videbantur; aegrotum adhuc spiritum ducere non nisi ex stertore, quavis tertia minuta repetito cognosci poterat; pulsus intermittens vix digito sentiebatur. Alvus atque urina inscio aegro excretae erant. Misero igitur in tergo collocato, ab uno ministro capite, ab altero humeris prehensis, extensio ita fiebat, ut Ehrlich ipse palmas occipiti et atlanti retrorsum prominenti admoveret, utrumque pollicem exstanti epistrophaeo adprimeret. Quum extensio fieret, medicus ille, atlantem dextrorsum regressum digitis antrorsum, epistrophaeum pollicis pressu retrorsum re-

pellere studebat. Periculo aliquoties facto, quod voluit, assecutus est, ut, quae erant in collo eminentiae, evanescerent et caput in trunco rursus figeretur. Cetera mala symptomata sensim sensimque abierunt liberiore respiratione, tussi cruenta, sopore, dilatatione pupillae glutiendique difficultate remanentibus; sed haec quoque irritantibus volatibilibus in usum vocatis, cessarunt et octo diebus post, ab omnibus fere molestiis aeger liberatus erat. Sanitas in dies crevit, neque aliud remansit incommodum, nisi quod aegrotus, celeriter verso capite, nucham moleste tendi sentiret. —

Tertium exemplum nobis est quintae vertebrae cervicalis luxatio ab ill. Rust allatum [1]). Qui illo malo afflictus erat, magno impetu prolapsus pronus in caput ceciderat, quo factum, ut collo retorto quam longissime, extremitates superiores motu voluntario carerent atque aegrotus spasmis saepius et singultu vexaretur. Repositio statim et quidem ita instituta est, ut sedentis in solo caput a robusto ministro sursum attraheretur. Fomentis frigidis et remediis sedantibus cura feliciter absoluta est. —

---

1) Medizinisch-Chirurgische Zeitung von Johann Nepomuck Ehrhart. Jahrgang 1813. Band III. p. 127.

Neque hi soli restituti sunt; sed quum mihi non in manibus sint libri, in quibus cujusque luxationis natura et curatio exponitur, auctores laudasse contenti simus oportet. Adeas igitur Richter[1]) librum, in quo invenias: Sellin, Hoffmann, Harrup, Neumann, Charlton atque Schnuhr. —

Itaque, quum, uti putamus, vertebrarum colli luxationes, etiam si symptomata minus gravia esse videantur magni momenti esse, neque ex solis morbis, qui simul adsint. symptomata funesta nasci, verum saepe ex sola luxatione originem ducere, luctuosasque exitu repositiones quae commemorentur, non indicio ac documento esse, reponendi periculum non esse faciendum, quum complures, luxata aliqua vertebra aegros, ossibus in suum locum repositis, sanatos sciamus, demonstraverimus; nihil certe erit, quod nos, dummodo rationem et usum duces sequi velimus, a reductione unquam deterrere possit. Non quidem est in animo pugnare, fieri omnino non posse, ut, quum inter reponendum medulla spinalis tendatur, tentata reductio in pessimum vertatur. Sed hoc timore, quo recte nos affici, quum res semel

1) Richters Handbuch der Knochenbrüche und Verrenkungen, l. c.

non prosperrime successerit, usu non satis probatum sit; nolimus perterreri, quominus reductionem instituamus; neque fore puto, ut medicus, quamvis sit timidissimus, si graviora symptomata urgeant, proverbii illius: »anceps remedium melius quam nullum« memor, haesitet, utrum curae periculum faciat, an miserae sorti aegrotum relinquat.

Jam consideratis variis morbi nostri eventibus, iis, quae in prognosi mala diximus, haecce licet addamus: Si luxationis cura, statim simul atque est orta, recte instituetur, nisi morbi conjuncti tanti sint, ut per se ipsi afflicto mortem inferre possint, prognosis erit bona. —

R e p o s i t i o.

Quum in totius corporis, tum in colli ossibus reponendis magno adparatu arteque valde complicata ante hoc tempus usi sunt chirurgi. Assula enim in aegrotantis ore imposita ac mento in laqueum inserto, humeros pedibus reprimentes extendebant collum. Jam simplicitate quadam usi, laqueo capiti injecto, humeris manibus retentis, rem perigebant. Nostri chirurgi laqueis remotis, sola manuum vi et attrahunt caput et retrahunt truncum, eo quidem modo, ut compluribus ministris scapulas, et quo tu-

tius negotium conficiatur, etiam pelvim, si opus esse videatur inferiores etiam extremitates tenentibus, chirurgus utraque manu comprehensum caput initio retorti colli flexum eumque adaugens (qua in re summa celeritate opus est, ne medulla spinalis diutius tendatur); ubi hocce modo ad certum gradum perventum est, sanam columnae vertebralis directionem secutus, adducat. —

Reductionis utriusque processus obliqui eadem est ratio; nam sicuti illic collum in eam partem extenditur, in quam caput vergit, ita etiam hic primo flexum caput sequimur retrorsumque reducimus (resupinatum enim est) tum secundum sanam columnam vertebralem dirigimus. —

R e t e n t i o.

Retentio quoque antea multo complicatior fuit, quam nunc est; cujus rei exemplum habemus apud Ehrlich loco laudato. Adhibebantur ante hoc tempus firmae fasciae, emplastra etc. ut caput in sede, in quam erat repositum, retineretur. Nunc quidem constat, in luxatione, nisi alii accesserint morbi, haec omnia non modo inutilia, sed etiam molesta esse; quare nunc illud solum spectant, ut aegrotus apte

collocetur. Ceterum si adsint complicationes morbique secundarii, remedia localia atque universalia adhibenda esse, me etiam tacente, intelligitur, neque opus esse puto, ut singula persequar.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego, Gustavus Guetzloe, Rhenanus, Essendiae cal. Julii anni MDCCCVII. Parentes mihi sunt Antonius Guetzloe et Elisabetha e stirpe Retenbacher, quos a Deo ad hunc usque diem conservatos, pia grataque mente veneror. Confessionem catholicam confiteor. —

Primis literarum elementis imbutus, gymnasium Essendiae per septem annos frequentavi. Examine deinde rite superato, maturitatis testimonium No. II. munitus, Bonnam me contuli, ubi ab ill. Nitsch, t. t. rectore Magnifico, academiae civibus adscriptus, apud ill. Harleſs, medicorum ordinis t. t. decanum Spectatissimum, nomen professus sum. Per tres annos in illa universitate philosophicarum medicarumque doctrinarum Professores tradiderunt:

Logicam et Psychologiam ill. van Calcar,

Physicam ill. de Muenchow, Botanicen generalem ill. Nees ab Esenbeck senior, Botanicen pharmaceuticam Nees ab Esenbeck junior, qui et ipse in plantis in agro indagandis dux mihi fuit; osteologiam, anatomiam generalem ill. Weber; chemiam ill. Bischoff; anatomiam generalem ill. Mayer; encyclopaediam artis medicae, physiologiam, anatomiam comparatam, pathologiam generalem atque semioticam ill. Mueller; mineralogiam ill. Noeggerath; zoologiam ill. Goldfuſs; diaeteticam materiam medicam ill. Harleſs; anatomiae repetitorium ill. Weber, qui quoque una cum ill. Mayer dux mihi fuit in arte cadavera secandi. De chirurgia, de arte obstetricia atque de instrumentis ejusdem artis, de doctrina operationum chirurgicarum, de morbis mulierum ill. Kilian audivi, qui quoque in operationibus obstetriciis, in machina, quam phantoma dicunt, nec non in clinico chirurgico praecepta mihi dedit. De therapia et generali et speciali, de anthropologia ill. Nasse loquentem audivi; de luxationibus et fractura ossium ill. a Siedmogrotzki. —

Mense Aprili anni MDCCCXXXI hanc almam literarum sedem Fridericam Guilelmam petii, ubi a rectore Magnifico ill. Boeckh in civium academicorum numerum receptum in gratiosi medicorum ordinis album ill. Hufeland me inscripsit. Ab illo inde tempore frequentavi praelectiones has:

De medicina forensi audivi ill. Wagner, de anatomia pathologica ill. Rudolphi h. t. decanum Spectatissimum. In clinicis mihi duces fuerunt: ill. Bartels et ill. Wolff in instituto clinico medico per duo semestria; ill. de Graefe et ill. Rust in instituto clinico chirurgico per semestre; in ophthalmiatrico ill. Juengken per semestre; in exercitationibus clinicis obstetriciis ill. Busch. — Quibus omnibus praeceptoribus, viris clarissimis atque illustrissimis, de me optime meritis, gratias, quas verbis persolvere haud valeo, in sempiternum habebo maximas. —

Jam tentamine philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, disser-

tatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nullum remedium mere topice agit.

II.

Non sunt morbi dynamici.

III.

Venis vis inest sanguinem propellendi.

IV.

In amputando membro virili ligatura anteponenda est cultro.

V.

Glaucoma non est morbus corporis vitrei.

VI.

Perinaei sustentatio ad partus felicem decursum valde est necessaria.